



LIBER PRIMVS
DIALECTICAE DE IIS,
QVÆ AD PRIMAM OPERATIONEM
INTELLECTVS SPECTANT.

CAPVT PRIMVM.

Proximale de modo in Dialectica
incipiendi.



N nostra maiori Logica; quia modo disputa-
tuo procedimus, per
quæstiones, & articulos
illam distribuimus; in
hac autem minori: quia
modo doctrinali proce-
dere intendimus, & qua-
si (vt aiunt) in materia,

& non informa: ideo per capita hoc compedium
diuidimus; quorum primum, quod quasi proce-
miale est, agit de modo incipiendi: nam, vt com-
mune proloquium testatur: dimidium facti, qui
bene cepit habet: in quo capite Summulista non
vnanimitè procedunt.

1. Modus
dicendi.

Alij enim Petrũ Hispanicũ sectantes à signo, &
sono esse inchoandum volũt: ratio est: quia à com-
muniõibus est incipiendum: sed signum, & sonus
sunt termino communiora: ergo à signo, & sono
est incipiendum: probatur minor: nam terminus
diffinitur per hoc, quod est esse vocẽ significatiuã:
sed vox est sonus, & signum: ergo sonus, & signũ
sunt superiora termino, illoque communiora: igitur,
&c.

Reijcitur.

Sed hic dicendi modus facilius rejicitur: quia
signum, & sonus, in communi non pertinent ad
Logicum, sed ad Physicum: & quamvis signum ad
placitum, & doctrinale ad Logicum pertineat, est
tamen æque simplex cum termino, & inferius ad
illum: & insuper est maximæ obscuritatis: & ideo
nec ab eo est incipiendum. Vnde distinguo mino-
rem: signum in tota sua latitudine, vt comprehen-
dit, tam signum naturale, quam ad placitum: con-
cedo: sed hoc non pertinet ad Logicum: licet sit
termino communius signum Dialecticum: vt ab
illis sumitur: est termino communius: nego mino-
rem: & ita nullo modo est à signo incipiendum.

2. Modus
dicendi.

Alij antiqui, quos non pauci moderni sequun-
tur, asserunt à modo sciendi esse inchoandũ: pro
quo aduertit: quod modus sciendi est oratio, quæ
rem aliquam ignotam manifestat: & quia tribus
modis aliqua res ignota manifestari potest: ideo

triplex est modus sciendi: aut enim res aliqua ig-
noratur à nobis propter eius confusionem: quia,
scilicet, multas partes habet: & tunc manifestatur
per diuisionem, per quam vna quæque res in suas
partes diuiditur. Aut est nobis ignota: quia eius
naturam ignoramus: & tunc manifestatur per dif-
finitionem: diffinitio namque rei naturam deela-
rat. Aut est nobis ignota: quia in se plures pro-
prietates habet: & tunc dubitamus; an vna ex alia
inferatur: & tunc per argumentationem manife-
statur.

Hoc posito; cum hæc tria requirantur, ad cui-
uscunque rei cognitionem: inquirunt auctores ista
modo sciendi esse in Logica; secundum legem
vniuersalem, quæ solum bonum commune atten-
dit; incipiendum: probatur primo per diuisionem;
diffinitionem; & argumentationem, debemus res
simplices manifestare: ergo prius debemus scire
quid sit diffinitio, quidve diuisio, & argumenta-
tio.

Dices: sufficere scire diffinitionem terminorũ:
non tamen diffinitionem ipsius diffinitionis.

Contra: ad noticiam diffinitionis termini requi-
ritur: vt prius sciatur: quid sit diffinitio: ergo prius
debet cognosci diffinitio in communi: antequam
patet: nam quis poterit indicare de diffinitione
termini, ac de eius bonitate: si prius non cognoue-
rit, quid sit diffinitio; & quas condiciones habere
debeat: igitur, &c.

Secundo principaliter probatur: omnis scientia
supponit modum sciendi: sed quæcunque pars
Dialecticæ est scientia: ergo quæcunque partẽ
Dialecticæ, debet præcedere cognitio modi sciẽ-
di: minor cum consequentia patet: maior est A-
rist. 2. Metaph. text. 15. dicentis: absurdũ est simul
querere scientiam, & modum sciendi: ergo, &c.

Tertio sic se habet: modus sciendi ad scientiam:
sicut modus ædificandi ad ædificium: sed nemo,
sine cognitione modi, quo debeat ædificare, ædifi-
cat: ergo nec potest scire aliquam partem Logicæ,
sine cognitione modi sciendi.

Cæterum; iste dicendi modus non nobis placet:
vt statim videbitur: nec rationes factæ nos vr-
gent: ad primam enim dico; sufficere solutionem
ibi datam: ad replicam; concedo; requiri, ad perfe-
ctam cognitionem termini, cognitionem diffini-
tionis in communi: sed hæc non licet Tyronibus
trade-

Refellitur

radere: quia pederentiam sunt ad logicam intro-
ducendi: & non statim perficendi: & ita ab imper-
fecta cognitione termini sufficit incipere: vt ad
perfectam peruenire possint.

Ad secundum distinguo maiorem: omnis scientia,
quæ non agit de modo sciendi: concedo: secus
tamen de logica, quæ ipsum tradit: nam aliter da-
retur processus in infinitum.

Vel potest dici: quod omnia, quæ Dialectica do-
cet, ad modum sciendi pertinet: quare à terminis
incipientes incipimus: à modo sciendi; tanquam
à parte ipsum componente, & per hæc ad tertium
sit satis.

Tertius mo-
dus dicendi
verus.

Tertius modus dicendi asserens à terminis res
simplices significantibus incipiendum esse nobis
placet: & probatur primo ex Arist. qui in sua logi-
ca à terminis in cõplexis exordium sumpsit: ergo.

Secundo ordo doctrinæ sequitur ordinem na-
turæ: sed natura semper progreditur à minimis ad
maxima; ab imperfectis ad perfecta; à simplicibus
ad composita: ergo ars eundem modum procedendi
seruare debet: sed terminus est simplicior; imper-
fectior; & minima pars in logica: ergo à termino
est incipiendum.

Tertio prius dirigenda est illa intellectus ope-
ratio, quæ inter alias priorẽ obrinet locum: sed ta-
lis est simplex apprehensio, cuius obiectum est res
simplex per terminum significata: ergo à termini
cognitione incipere debemus.

Dices: ergo propter hæc rationẽ à partibus ter-
mini, quæ sunt syllabæ, prius incipere deberemus.

Dico: syllabas non spectare ad logicum, sed
ad grammaticum.

Contra: cognitio relatiuorum est simul natura;
sed syllabæ sunt termini correlatiua: sicut partes,
& totum: ergo, cognito termino, syllabæ cognos-
ci debent: sed syllabæ sunt partes termini, & simpli-
ciores illo: ergo à syllabis est incipiendum.

Respondeo: quod terminus in logica non con-
sideratur, vt totum; sed vt pars propositionis: &
ita est simplicior in logica: nec syllabæ sunt eius
correlatiua: quatenus à logico consideratur.

CAPVT II.

De termino in communi.

S I quidem, primo capite, inductorio, à
terminis esse nobis inchoandum determi-
nauimus; in hoc secundo, de ratione forma-
li ipsius termini in communi est nobis de-
terminandum: circa quam non est concursus Diale-
cticorum sententia. Petrus Hispanicus, Magister So-
to, & alij, sic eam tradunt: Terminus est vox, signi-
ficatiua, ad placitũ, ex qua simplex conficitur pro-
positio. Vnde inferunt; voces non significantias:
vt blytiri, syndapfus, & alia huiusmodi; nõ esse ter-
minos: quia non sunt voces significantiæ: prædi-
ctamque diffinitionem; dicunt; cõpetere termino
mentali, & scripto, per accommodationem.

Prima sen-
tentia.

Secunda sen-
tentia.

Alij autem, de quorum numero est Petrus de
Oña, sic terminum diffiniunt: Terminus est signũ
ponibile in propositione simplici: tanquam consti-
tutum illius. Ex qua diffinitione deducunt, ver-
bum, in propositione; rationem termini induere:

quia est signum: & quia propositionem cõstruit:
volunt etiam; voces non significantias non esse
terminos: quia non sunt signa: de ratione enim sig-
ni est significare.

Alij verò ex Aristotelis mente sic terminum
diffinire contendunt: Terminus est extremũ pro-
positionis simplicis: subiectum scilicet, & prædi-
catum.

Tertia sen-
tentia.

Quarta sen-
tentia.

Aristoteles tandem in primo Priorum, quem se-
quitur Boetius, sic illum diffinit: Terminum voco,
in quem resoluitur propositio: vt prædicatum, &
subiectum; & hæc diffinitio parũ à tertia, quæ pla-
ne est tenenda, discrepare videtur: nam eadem est
via cõpositionis, & resolutionis. Tertia diffinitio
asserens terminum esse extremum propositionis
compositionem respicit: Aristotelica autem ad re-
solutionem pertinet: vtraque tamen conuenit in
hoc: quod terminus sit subiectum, & prædicatum
propositionis simplicis, qui optime per hoc, quod
est esse extremum propositionis simplicis expli-
catur.

Primo no-
tandum.

Pro quo notandum ex Doct. nostro quæst. 1.
prædicamentorum: quod hæc vox, terminus, de-
sumpta est à Geometra: vt denotetur, in logica il-
lud indiuisibile, quod propositio nem terminat, vo-
cari apud Philosophum terminum: & quia ly, ex-
tremum clarius significat hoc, quod est esse termi-
num: & insuper significat vltimum cuiuscunque
rei: vt optime explicat ipse Doctor super quinto
metaph. text. 22. ideo per extremum; tanquam per
quid propius, & communius, terminus diffini-
tur. Itaque significatum huius vocis, Terminus,
est quædam secunda intentio, quam Logicus attri-
buit subiecto, & prædicato propositionis simpli-
cis, ratione cuius intentionis dicuntur termini, si-
ue extrema talis propositionis: hæc namque pro-
positio, v.g. homo est animal: est quoddam totum
logicum, cuius partes sunt subiectum, & prædica-
tum: homo enim positum ante verbum, est, dicitur
subiectum: quia quasi subiicitur animal; vt de
eo prædicetur: & animal positum post verbum di-
citur prædicatum: quia de homine prædicatur: vn-
de fit: vt subiectum, & prædicatum dicantur termi-
ni, siue extrema. Et cum resolutio totius semper
fiat in partes: vt homo resoluitur in corpus, & ani-
mam: sic propositio simplex in terminos resolu-
tur: id est, in subiectum, & prædicatum. Quare in
prædicta diffinitione, ly, terminus est, quod diffini-
tur: ly, extremum ponitur loco generis: quia in eo
conuenit terminus logicus cum omni eo, quod
est vltimum in quavis re: propositionis simplicis
ponitur loco differentia: quia per hoc à cæteris
extremis distinguitur: maxime ab ipsa propositio-
ne simplici quando hypotheticam componit.

Primo Co-
rolar.

Ex quibus deducitur primo, solam illam dictio-
nem, quæ per se potest esse subiectum, aut prædi-
catum, in propositione, veram esse terminum: si-
ue sit significatiua, siue nõ. Vnde sola nomina sub-
stantiua in recto, & in nominatiõ sumpta, sunt
verè termini: quia possunt esse subiectum, & præ-
dicatum: in casibus autem obliquis, nec aliz ora-
tionis partes, quæ nequeunt per se rationem sub-
iecti, aut prædicati fortiri, sunt termini: sed so-
lum termini modificationes: nisi forte materiali-

ter sumantur; & prout se ipsas significant: vt cum dicitur: satis, est aduerbium: & est coniunctio: nomina adiectiua; pro nomina; & participia; sunt termini: si a parte vnus extremi sine consortio substantiui sumantur: vt ego curro: Petrus est albus: Ioannes est amans: si autem cum consortio sumantur substantiui: tunc solū sunt termini modificationes: vt Petrus est homo albus: ille Ioannes currit.

2. Corol.

Deducitur secundo voces non significantias esse verē, & proprie terminos: tūm quia quælibet est extremum propositionis simplicis: vt patet in ista: blytiri est vox; tūm etiam; quia subiectum propositionis doctrinalis est verē terminus: sed tale est blytiri in prædicta propositione, quæ doctrinalis est; cum sic à Philosopho demonstratur: omnis sonus ab ore animalis procedens est vox: blytiri est sonus ab ore animalis procedens: ergo blytiri est vox. Tūm denique; quia eadem est ratio de hac propositione: blytiri est vox; ac de hac: homo est vox: sed in hac secunda, homo, est terminus: ergo & in prima blytiri erit terminus, maior patet: quia sicut homo ibi supponit materialiter; & se ipsum significat; sic similiter blytiri: ergo, &c.

Vnde quando per primam, & secundam sententiam voces non significantiæ à ratione termini excluduntur: sumitur terminus formaliter: non verò materialiter: terminus enim de p̄cipite accipitur; materialiter, & formaliter: primo modo, nihil nisi se ipsum significat: secundo modo, significat aliquid à se ipso: v. g. ly, homo materialiter significat se ipsum, formaliter verò significat ad placitum: hoc est ex hominum Latiorum institutione: naturam humanam, & hoc secundo sensu, qui apud Logicum est principalior, dicitur terminus esse signum; & esse vox significantia ad placitum: dum modo vox (vt vult Doctor in primo periherm. quæst. 1. ad vltimum argumentum) comprehendat vocem ore prolata; & vocem mentalem; & scriptam: nam sicut vocē ore prolata loquimur præsentibus; sic scriptura loquitur absentibus: & verbo mentali loquitur sibi ipsi intellectus: & ita vox est istis tribus vocibus communis: & sic debet accipi in termini diffinitione tradita à Petro Hispano, non verò per accommodatorem: nam inquirō, quando adaptatur vox ore prolata termino mentali, & scripto: vel est ipsa vox prolata; vel alia: si est eadem; implicat terminum mentalem esse talem vocem: si non est eadem vox ergo iam nō est eadem diffinitio essentialiter cum priori: sed alia; ac per consequens non erit idem diffinitum: ac tandem per illam non diffinitur terminus in communi: quare; vt sic, diffinitur; debet accipi vox modo à nobis explicato: & tunc tam per primā, quā per secundam diffinitionem, tantū diffinitur terminus pro formali; & quia pro materiali etiam diffinitur debet: & per nostram diffinitionem diffinitur: idē ipsa à nobis; vt verior, & communior, amplectitur.

3. Corol.

Ex quo tertio deducitur, verbum; si formaliter sumatur: non esse terminum in propositione: pro quo est aduertendum: quod verbum duplex habet significatum: materiale, scilicet, & formale: materialiter significat rem aliquam: vt lego; pro materiali significat actum legendi: quod significatum explicatur per participium ipsius verbi: & dicitur

materialiter: quia etiam nomini, & participio conuenit: & in hoc sensu intelligitur Arist. in anto prædicamentis; quando verbum, terminum in complexum appellat: formaliter autē significat vnionem, siue connexionem prædicati cum subiecto: & explicatur per verbum substantiuū: v. g. amō; id est; sum amans: vbi ly, amans est significatum materiale: & ly, sum, est significatum formale, in quo essentia verbi consistit: & secundum hoc significatum ab ipso verbo rationem termini secludimus: tūm quia, vt sic, non est pars propositionis: nam, vt sic, est solū extremorum vnio: & vnio non est pars compositi: vnio enim animæ, & corporis, nō est pars hominis: sed nexus partium hominis: ergo nec verbum pro formali est pars propositionis: ergo nec terminus. Tūm etiam; quia vt sic, nō est extremum propositionis: quod ad rationem termini requiritur: terminus enim à terminando, dicitur: quare secunda sententia in hoc non est tenenda: dum verbum esse terminum affirmat.

CAPVT III.

De diuisione terminorum ex parte subiecti.

QVE MADMODVM in statua duæ reperiuntur: altera nō materiale, quod est lignum; aut æ: alterum formale, quod est figura Petri, vel Pauli: sic similiter in termino Logico duo consideranda sunt: vnū se habet, vt materiale: nempe conceptus; vox articulata; & scriptura: alterum se habet, vt forma: scilicet, significatio, siue sit naturalis, siue ad placitum; ad quā reducitur modus significandi, siue concipiendi. Vnde acturi determinationem diuisione in hoc tertio capite illos ex parte materiæ diuidimus: quorum prima diuisio sit in significatiuum, & non significatiuum. Terminus significatiuus est, qui præter se ipsum aliquid significat: vt homo. Terminus non significatiuus est, qui nihil præter se ipsum, significat: & semper materialiter accipitur: vt blytiri; syndapfus, bu; ba, &c.

Terminus significatiuus.

Terminus non significatiuus.

Terminus mentalis.

Terminus vocalis.

Terminus scriptus.

Terminus vltimatus.

Terminus

Rursus: terminus tam significatiuus, quā nō significatiuus est triplex: mentalis; vocalis; & scriptus: in his enim tribus potest significatio, vel carentia significationis fundari. Terminus mentalis est extremum propositionis simplicis mentalis: quia sicut ore: ita & mente formamus propositiones subiectum, & prædicatum habentes: & talis terminus vocari solet; conceptus; notitia; cognitio; idolum; species expressa; imago; similitudo; & verbum mentis.

Terminus vocalis est extremum propositionis ore prolata.

Terminus scriptus est extremum propositionis scriptæ.

Rursus: terminus mentalis alius est vltimatus: alius non vltimatus: vltimatus est conceptus formatus de re per terminum significatam; & ad ipsam terminatus; nam cognita re, ibi sicut intellectus; & non ultra progreditur: vt conceptus naturæ humanæ per istam vocem, homo, significat.

Terminus mentalis non vltimatus est conceptus

non vltimatus.

Conceptus directus.

Conceptus reflexus.

Conceptus intuitiuus.

Conceptus abstractiuus.

tus vocis, vel scripturæ rem significantis: nam in tali termino non sicut intellectus: sed ultra progredi conatur: donec cognoscat rem per terminum significatam: talis est cognitio præcisa huius vocis, homo. Vnde conceptus formatus de voce nō significatiua semper est vltimatus: quia intellectus ultra progredi nequit: nam licet blytiri prolatorem significet; sicut effectus significat suam causam: nihil in interest ad Logicum: qui tantū considerat voces: prout ad placitum significant: non autem prout sunt effectus naturales.

Rursus: Terminus mentalis; alius directus: & alius reflexus: directus est, qui directè tendit in rem; vocem, vel scripturam: vt quando cognosco Petrum.

Conceptus reflexus est cognitio cognitionis existentis in eadem potentia: vt cognitio, qua cognosco meam cognitionem. Dico notanter, in eadem potentia: quia cognitio illa, qua cognosco me videre albedinem, non est conceptus reflexus: quidquid dicat Soto cap. 3. not. 5. quia vtraque actio debet esse in eadem potentia: vt agens reflecti dicatur: visio autem, & intellectio in diuersis potentijs sunt. Vnde cognitio, qua vnus Angelus alterius cognitionem cognoscat, non est reflexa: sed directa, propter eandem rationem.

Tandem: Terminus mentalis ad primam operationem pertinet diuiditur in intuitiuum, & abstractiuum: intuitiuus, secundum Doctorem, in 1. sent. dist. 2. parte 2. quæst. 1. & quodlib. 13. & alibi: est cognitio rei præsentis: vt præsens est: & existens: vt existens est, in se, vel in aliquo eminentiori: vt notitia, qua beati vident Deum, & creaturas in essentia diuina.

Abstractiuus est cognitio rei non præsentis in se: sed in sua specie representatiua: vt cognitio Patris mei absentis. Alij autem sunt conceptus, qui ad hos pertinent: sed illos pro nunc non nominamus.

CAPVT III.

De diuisione terminorum ex parte rei significatæ, & modi significandi.

DIXIMVS cap. præcedente, terminum ex materiali, & ex formali consistere: vt patet per singulos discurrendo: materiale enim termini vocalis est vox ab ore prolata: formale verò, quod est significatio, est relatio signi fundata in ipsa voce, & terminata ad rem significatam, & representatam auditui: nam vox significatiua ad placitum; secundum Doct. in 1. dist. 17. quæst. 1. in solutione ad secundū significat rem ad extra. Similiter, materiale termini scripti est scriptura: formale est relatio signi in voce scripta fundata, & terminata ad rem per ipsam significatam, & representatam visui. Tandem: materiale termini mentalis est conceptus: formale verò est relatio signi ad rem per ipsum significatam, & expressam intellectui. Vnde peracta diuisione terminorum quoad materiale, restat nunc eos diuidere quoad formale, & ex parte significationis.

Nota.

Pro qua diuisione est prius animaduertendum:

quod signum, seu significare (solum enim vt agēs, & actio differunt) prout ex Doctore in 4. dist. 1. quæst. 2. colligitur: est aliquid potentie cognitionis representare; seu facere cognoscere: hoc est; concurrere cum potentia cognitiua ad formandā cognitionem rei, cuius est signum: vt sumus ducit nos in cognitionem ignis: & hoc est; quod ab alijs dicitur: significare est nos ducere in alterius rei cognitionem. Ponitur autem notatè, alterius; quia nihil potest esse proprie, & primario signum sui ipsius: cum signum, & signatum comparentur: sicut via, & terminus, imperfectum, & perfectum; quæ eidem, respectu sui, conuenire nequeunt. Verum est tamen: quod improprie dicitur aliquid se ipsum significare: vt quando terminus pro se supponitur: vt in hac: homo est vox; & etiam secundario: vt ly, terminus significat primo terminum in communi: & quia sub eo mediatè, & secundario, omnes terminos particulares significat: se ipsum significat: vt sub suo primario significato continetur.

Significare re quid sit.

Significare naturaliter

Significare proprie diuiditur in significare naturaliter, & ad placitum. Significare naturaliter est ex proprietate suæ naturæ suum significatum representare: & contingit tripliciter; proprie, communiter, & ex instinctu naturæ: proprie, vt conceptus, & actuales notitiæ rerum: communiter, vt quando quælibet res mouet intellectum ad causandam notitiam de se ipsa: & in hoc sensu quælibet res mundi significat: se significare naturaliter ex instinctu naturæ est, quādo ex natura sua idem apud omnes representatur: vt gemitus infirmorum representat dolorem.

Significare ad placitum.

Significare ad placitum est, ex impositione, vel vsu voluntario, suum significatum representare: vt hæc vox, homo, ex hominum impositione, significat apud Latinos naturam humanam: & contingit dupliciter: vel doctrinaliter, vel artificialiter, & ex vsu, siue consuetudine; primo modo sunt voces significantiæ, & scripturæ: plurimum hæc enim conducunt ad scientiam comparandam. Secundo modo sunt ramus appensus ante tabernā, qui significat vinum vendibile: & canis veniens, qui sui domini aduentum significat.

Significare doctrinaliter.

Significare artificialiter.

Rursus: signū naturale, aliud est formale: aliud instrumentale: formale est, quod se ipso, vt forma potentie cognoscentiæ inherens, sine præuia sui cognitione, facit nos rem cognoscere: vt conceptus, & alia, quæ naturaliter proprie significant.

Signum naturale formale.

Signum instrumentale.

Signum instrumentale, teste Augustino lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 1. est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus facit nos in alterius rei cognitionem venire: id est, quod prius in se cognitum in alterius rei cognitionem naturaliter nos ducit: vt vestigium arenæ impressum prius in se cognitum ducit nos in cognitionem animalis illic transeuntis: & huiusmodi sunt, quæ ex instinctu naturæ naturaliter significant dicuntur.

Terminus categorematicus.

His positis: Terminus significatiuus, siue vocalis, siue scriptus, diuiditur in categorematicum, & syncategorematicum: categorematicus, qui & significatiuus dicitur, est, qui significat aliquid: id est, rem aliquam: atque ad eum potest esse per se subiectum, vel prædicatum propositionis: vt homo, & leo: dicitur enim à categorico Græcè,

Latine prædico: quia significat formam natam subijci, & prædicari in propositione.

Terminus syncategorematicus.

Terminus syncategorematicus est, qui significat aliquam rem; non rem; sed modum rei: ut omnia signa, nempe omnis; nullus, &c. Omnis enim significat vniuersalitatē, quæ modus rei est: similiter aduerbia; coniunctiones; casus obliqui substantiuorum; & alia id genus, quæ non possunt esse subiectum, & prædicatum in propositione, termini sunt syncategorematici, syncategorematicus namque idem est; ac eomprædicatiuus: id est; cum alio prædicatur, seu subijcitur, faciens illum aliter significare.

Nota.

Aduerte tamen: quod nomina adiectiua; pronomina; & participia, sunt aliquando categorematice: quando per se in propositione ponuntur: ut in illis: homo est doctus: ipse est homo. Vnde ly, solus, categorematice sumptus non potest dici de Deo: quia dicit Deum esse solū sine perōnis: bene tamen si syncategorematice sumatur: nempe solus Deus: id est; extra quem non est alius Deus.

Terminus incompletus.

Item: Terminus categorematice, alter est in complexus; alter complexus: in complexus est dictio simplex, cuius nulla pars significat; quatenus est pars talis dictionis, ut dominus; homo; artemiger, &c. Nam licet partes huius dictionis, dominus, significet: non tamen ut illius partes sunt: sed illi vnici conceptus incomplexus, & simplex in mente correspondet.

Terminus complexus.

Terminus complexus est compositus ex pluribus dictionibus significatiuis, congrue se habentibus, quæ eandem significationem retinent separatæ, ac coniunctæ; ut homo albus; Petrus, & Paulus: itaque partes termini complexi debent vni; vel in re: quia vna scilicet conuenit alteri à parte rei: ut homo albus; vel quia aliqua copula non verbali vniuntur: ut Petrus, & Paulus: nam, homo est albus, ad secundam operationem pertinet: & iste terminus complexus est triplex: voce tantum: ut Marcus Tullius Cicero; gladius, & ens; re tantum: ut quando vna vox pluribus æquiualeat; ut nemo: id est; nullus homo: huiusmodi etiam sunt omnia æquiuoca, & analogæ: & voce simul; ut homo iustus.

Nota tamen: quod termini complexi, & in complexi penes sua significata à parte rei attendi debent. Vnde si a. imponeretur ad significandum hominem iustum; esset terminus complexus apud Logicum, cui duplex conceptus responderet: etiam si apud Grammaticum incomplexus esset.

Terminus concretus.

Item: Terminus diuiditur in concretum, & abstractum: concretus est, qui significat formam dantem esse alteri: ut homo significat humanitatem existentem in supposito: album albedinem existentem in subiecto: vnde significat per modum totius, ex forma, quæ dat esse, & ex eo, cui datur esse: idem enim dicitur concretum, à concernendo: quia præter formam concernit aliud; & forma dicitur significatum formale; & illud, cui datur esse, dicitur materiale.

Concretus concernens suppositum.

Rursus: terminus concretus subdividitur: alius est concernens suppositum, seu singulare, ratione cuius per se stat: ut homo; alius est con-

cernens subiectum, in quo non stat per se, sed in hæret; aut se habet per modum illi in hærentis, & adiacentis, ut album.

Terminus abstractus est, qui præcise significat formam, veluti à subiecto, cui dat esse, separatam: atque aded quasi per se stantem, & per modum partis significatam: quod intellige quantum ad modum significandi: licet enim forma illa sit realiter in supposito, seu subiecto: modus tamen significandi termini est quasi formæ separatæ ab habente illam: ut albedo; humanitas, &c.

Rursus: Terminus abstractus, secundum Doctorem in 1. dist. 5. quæst. 1. est duplex: vnus est abstractus vltimata abstractione: & est, qui significat formam ita abstractam, ut ab ea alia abstrahi non possit: ut ab albedine albedinitas: ab homine humanitas: ab equo equitas, &c. Alter est, non vltimate abstractus, qui significat formam, à qua potest fieri alia abstractio: ut albedo significat formam abstractam à subiecto: non tamen vltimate: quia ab ea albedinitas, siue quidditas albedinis, abstrahi potest.

Item: Terminus diuiditur in absolutum, & connotatiuum. Absolutus est, qui significat rem per modum per se stantis; & non alteri in hærentis: huiusmodi sunt omnes termini abstracti; & termini concreti, quorum formæ concernunt luppositum, ratione cuius per se stare dicuntur: ut albedo; homo; leo, &c.

Terminus connotatiuus est, qui significat rem per modum alteri in hærentis; cuius modi sunt concreta illa, quorum formæ concernunt subiectum, quibus in hærent: aut concepiuntur; ac si illis in hærent: & hic rursus est duplex: intrinsecus, & extrinsecus: extrinsecus, qui & denominatiuus proprie dicitur, est, cuius significatum formale est accidentale subiecto: ut album; intrinsecus, qui & denominatiuus large appellatur, est, cuius significatum formale est essenziale subiecto: ut sensibile, rationale, &c. Nam licet rationalitas homini non in hæreat: significatur tamen per modum adiacentis. Nec ex hoc velis; denominatiua esse terminos complexos; eum duo significare videatur: non enim æque primo illa significat: quod ad complexorum rationem requiritur, sed formam æque primo, & per se significat; subiectum autem solum connotat: de quo in ante prædicamentis.

Item: Terminus diuiditur in singularem, & communem: singularis est, qui significat rem indiuiduam, & pluribus incommunicabilem: ut Petrus; & omnia nomina propria: & est quadruplex: determinatus, qui rem singularem, & determinatam significat: ut Petrus. Demonstratiuus; & est terminus communis affectus signo rem singularem demonstrante: ut hic homo. Ex hypothesi, seu suppositione; & est terminus communis, qui aliquibus circumstantiis adiunctis supponitur aliquo singulari: ut Maria filius: id est; Christus Dominus. Alius denique est terminus singularis vagus, qui significat rem singularem indeterminatam, & vage, id est, vel hæc, vel illam; ut quidam homo significat vnum hominem: non tamen Petrum determinate: ex his autem quatuor solum determinatus, & demonstratiuus dicuntur proprie

Concretus concernens subiectum. Terminus abstractus.

Abstractus vltimata abstractione. Abstractus non vltimate abstractione.

Terminus absolutus.

Terminus connotatiuus.

Nota.

Terminus singularis. Terminus singularis quadruplex.

Terminus communis.

prie singulares: alij vero duo sunt improprie tales.

Terminus communis est, qui significat naturam communem multis diuisiue: ut homo significat naturam humanam, quæ diuisiue Petro, & Ioanni communicabilis est. Dixi notanter, diuisiue, propter istos terminos, Deus, & essentia diuina, qui, licet significant naturam pluribus suppositis communicabilem: non tamen diuisiue: sed vna numero est in illis; & idem sunt termini singulares, vt docet Doctor in primo dist. 4. quæst. 1. Sol autem, & Luna sunt termini communes: quia ex sua impositione, & ex natura sua, non repugnat: vt pluribus diuisiue communicentur.

Terminus vniuocus.

Item: Terminus communis, alter est vniuocus, & alter æquiuocus: vniuocus est, qui significat multa; vt in vna ratione communi conueniunt; vt homo significat omnes homines; vt in natura humana conueniunt.

Terminus æquiuocus.

Terminus æquiuocus est, qui plura sunt: diuersa ratione significat: hoc est: est vna vox habens plura significata: vt canis, qui significat piscem marinum; sydus caeleste, & canem terrestrem. Et iste terminus æquiuocus est duplex: alter à casu, & alter à consilio, æquiuocus à casu qui proprie æquiuocus dicitur, est, qui diuersa ratione, & sine habitudine vnus ad aliud, plura significat: vt canis, vel gallus, qui significat hominem, & auem.

Æquiuocus à consilio.

Æquiuocus à consilio est, qui plura diuersa ratione significat; habita tamen ratione similitudinis; attributionis; seu proportionis: vt homo, respectu hominis viui, & picti; Nero, respectu hominis crudelis, & ipsius Neronis: risus, respectu gaudij hominum; & vitiorum pratorum seu florum; & talis terminus æquiuocus à consilio dicitur; analogus: de quibus in antepredicamentis.

Terminus supra transcens.

Item: Terminus communis adhuc est triplex: limitatus, transcendens; & supra transcendens: supra transcendens est, qui significat rationem communi omnibus entibus; non solum veris, & rebus: sed etiam possibilibus, & imaginarijs: vt imaginabile, intelligibile, &c.

Terminus transcens.

Terminus transcens est, qui significat rationem illimitatam, & omni enti existentem conuenientem; & sunt sex in hac dictione, & euban, contenti: videlicet, res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum.

Terminus limitatus.

Terminus limitatus est, qui significat rationem communem, limitatam tamen: & hic quinquplex communiter assignatur; nempe genus; species; differentia; proprium; & accidens: de quibus in predicabilibus.

Terminus collectiuus.

Item: Terminus alius est collectiuus; alius diuisiuus: collectiuus est, qui in numero singulari plura significat: quatenus in vno colliguntur; licet de singularis non prædicetur: vt ciuitas; populus, quæ vni multis placeat terminum collectiuam tantum collectionem plurium significare.

Terminus diuisiuus.

Terminus diuisiuus est, qui in numero singulari plura significat, & de singularis illorum dicitur: vt homo significat plures homines; & de quolibet eorum sumpto prædicatur: vt Petrus est homo; Paulus est homo.

Terminus prima intentionis.

Item: Terminus diuiditur in terminum primæ intentionis; & secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui veras, & reales naturas significat: vt homo, leo, &c.

Terminus secundæ intentionis, est, qui significat secundam intentionem, quæ non est nisi respectus rationis per actum comparatiuum intellectus causatus: vt genus; species; & omnes termini Logicales; & Grammaticales.

Item: terminus alius est finitus; alius infinitus: finitus est, qui significat certam, & nominatam naturam; siue personam: vt homo, & Petrus. Vel aliter; est quilibet terminus non affectus negatione.

Terminus infinitus est, qui nihil determinatum significat: componiturque ex termino finito, & negatione aduerbiali: vt nō homo, nō Petrus.

Vnde sciendum: quod negatio sumitur dupliciter: neganter; & infinitanter: tunc sumitur neganter: quando negatio non solum afficit nomen: sed etiam in copulam transit: sicque propositio redditur negatiua: nam negatio est malignantis naturæ, quæ quicquid post se inuenit destruit; & eius oppositum reddit. Tunc vero sumitur infinitanter: quando tantum negat nomen, cui coniungitur: & non transit ad negandam copulam: & sic propositio manet affirmatiua: vbi gratia, in hac propositione: non homo currit: si ly, non, sumatur neganter; negatiuam reddit propositionem: vt sit sensus: illud, quod non est homo, non currit: si vero sumatur infinitanter: hunc reddit sensum: id quod non est homo, currit.

Ex quo colligitur; terminum infinitum duplex habere significatum: vnum formale; & hoc est determinatum: vt in exemplo, posito, negatio hominis: alterum materiale: & hoc est incertum; & indeterminatum; scilicet omne illud, quod infinitum: vt non homo pro materiali significat omne id, quod non est homo: siue illud sit verū ens; siue fictum. Vnde de chimera dicitur: quod est nō homo: & idem dicit Philosophus in perihemeneias: quod terminus infinitus dicitur, tam de eo; quod est, quàm de eo; quod non est.

C A P I T V L V M

De terminis ad inuicem comparatis.

HACTENVS egimus de terminis secundum se, & absolute: nunc in isto capite nobis est agendum de illis, secundum quod vnus vnus alteri comparatur. Termini igitur inter se comparati, alij sunt pertinentes; alij impertinentes: pertinentes sunt, qui inter se aliquem ordinem habent, & connexionem; ita, vt ex vnus cognitione ad cognitionem alterius deuenire possimus: vt homo & animal. Termini impertinentes sunt, quorum vnus non ducit in cognitionem alterius; nec aliquem inter se ordinem habent: vt homo, & equus: sapiens, & claudus.

Rursus: pertinentes, alij sunt pertinentes sequela, inter quos est ordo consequentiarum: hoc est, quorum vnus infert alterum: vt homo, & animal; homo & resibile; & isti adhuc sunt in duplici differentia: alij sunt conuertibiles: id est, qui conuertibiliter se inferunt: vt homo, & rationalis; & alij non conuertibiles: ergo rationalis, rationalis; ergo homo.

Terminus secundæ intentionis.

Terminus finitus.

Terminus infinitus.

Nota.

Termini pertinentes.

Termini impertinentes.

Pertinentes sequela.